

præsidium secus ripam militum agmen procedebat. Ubi vero ad clusuram fluminis admota est, toto triduo hæsit in bina palorum serie refigenda. Eratque interim acerrimum cum hoste certamen: sagittæ & omnia telorum genera citro ultroque volitabant: tormenta tamen aneis machinis excussa, vehementer classem affligebant, & imprimis navim, quæ palis hærebat: quorum ictibus ita brevi concussa est, ut aquis obnoxia, nullus jam ipsius usus esset amplius. Nec illi qui in ripa erant, in ocio fuere: Patavinæ cohortes quæ in obsidenda urbe erant occupatæ, cum Gerardo Caminenfi sub primum Venetorum accessum ad Casale venerant: ex agro quoque Patavino tumultuarius miles accersitus affuit. Ad Musestrum igitur sæpius pugnatum, omnibusque fere certaminibus hostis superior fuit, quibusdam cæsis, aliquanto pluribus captis, in quibus Joannes, cognomento Magnus, homo Gallici sanguinis multique nominis fuisse dicitur. Infecta re, classis ad Musestrum se recepit. Nec hostes, Veneto abeunte, quieverunt: sed aliquanto majore quam prius, truncis, sublicis, aliaque materia, qua circumjecta loca abundant, fluvium occluserunt. Venetus ubi vidit se illic sedendo nihil proficere, quarta vigilia noctis motis castris, ad Mestram confedit, ut terrestri itinere, quia fluvio non posset, opem Taurisinis laborantibus ferret. Incidit interim in gravissimum morbum Dandulus: quo domum decedente, Patres copiarum imperium Petro Hemo decrevere. Classis & ipsa, terrestribus copiis Musestro profectis, domum reducta est. Hostis post Venetæ classis digressum copias in castra reduxit: atque turri commeatu & armis firmata (quia nullus erat locus, quo se tuto recipere posset) veritus ne, Veneto ad Mestram sedente, cladem aliquam adiret, motis castris ad Novale confedit, operibusque statim oppidum oppugnare cœpit. Interim Mestrinæ copię, frumento aliquotiens Taurisium invecito, caritatem annonæ aliqua ex parte levarunt. Ferunt tanta rei frumentariæ inopia per id tempus in ea urbe laboratum, ut triticum quatuor fere nummis aureis veniret: acciditque ob id, ut

*Imprimis
autem ino-
pia rei fru-
mentariæ.*